

potestati et vigintiquinque libr. par. ¶ Item modo aliquo non arguere aliquem rengatorem vel consulentem, nec vociferare palam vel occulte contra aliquem rengatorem vel consultorem, qui esset in rengiera vel alibi in quocunque consilio pro consulendo, nec etiam cum pedibus vel manibus verberare ad banchum vel super banchis, dum talis arengator fuerit in rengieria, sub pena frx. quadraginta pro quolibet contrāfatiente et qualibet vice contrafacta incontinenti solvendorum comuni, et potestas vel vicarius loco potestatis aut rectores teneantur exigere immediate dictam penam sacramento et de solvendo de eorum propriis bonis. ¶ Et quilibet consiliarius de maiori consilio qui non venit ad maius consilium solvat duos grossos, salvo iusto impedimento persone. ¶ Et non exurgere ad rixandum in maiori consilio, nec de loco ubi sedent causa eundi et sedendi ad alium locum, etiam sub pena medie marche frx. comuni persolvende.¹⁾ ¶ Item sub millesimo trecentesimo quinquagessimio indictione tertia de mense ianuarii statutum et ordinatum fuit de novo quod si aliquis ex iudicibus civitatis Tergesti poneret seu ponere vellet ser Niculinum de Vedano civem Tergesti, filium condam domini Iohannis de Mediolano, de maiori consilio loco alicuius consiliarii mortui, quod ipsum ser Nicolinum ponere possit et valeat, // et si positus fuerit, sit et esse intelligatur de maiori consilio civitatis Tergesti, prout quilibet alius consiliarius dicti consilii, et hoc de gratia spetiali, non obstante aliquo statuto civitatis Tergesti (et) in contrarium loquente. 57 B

Cap. XXXV. Rubrica de congregacione maioris consilii. Et qualiter partes in eodem poni debent. Et de hiis qui arengarent de removendo statuta super potestariam. 30

Statuimus quod in congregacione maioris consilii civitatis Tergesti procedatur in hunc modum: videlicet quod quandocunque iudices vel rectores comunis civitatis Tergesti

¹⁾ persolvendum.